



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Præfatio ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)



P R Æ F A T I O ad Lectorem,

Avdire videtur aliquem exclamantem, & prapropero iudicio damnantem laborem hunc nostrum. Quid enim, ait is, spectat fabulator iste, quò tendit, veteres nugas recantando? Nunquid è spinis uvas, aut è tribulis colliget ficus? Quæ mysteria vanis ex commentis eruet; & è paleis toties excussis, quid, nisi siliquas extundet? Abunde Mythologorum est, somnia poëtica enarrantium. In mendaciis verò, quid opus est scrutiniis veritatis, nunquam cogitata, nunquam intentata? hoc est, tragædias in nugis agere, unguentum, quod dicitur, lenticula miscere, aut ex macie velle sebum excoquere. Parcius ista viris; quisquis talia sentis & loqueris. Qui nimium dicit, nihil dicit. Aliter de fabulis, & fabularum symbolis iudicant viri sapientes. Muretum audiamus, Christianum Demosthenem, orat. de utilitate & præstantia litterarum humaniorum. Cui, cum litteras illas docenti, objiceretur, Poëtarum commenta aniles esse nenas, & ad pueriles animos hilarandos compositas, gravissimè respondit: (a) Etenim poëtarum fabula non levia quadam, & frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt; imò verò sub eis, velut involucris ac integumentis omnis doctrina elegans, omnis ingenue homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. Et ibidem paullo post subjungit. Non igitur, cum poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more animos ducimus, sed sementem quandam virtutis atque doctrinae jacimus; non in levibus, minimèque frugiferis rebus operam sumimus; sed præcepta sapientia, quò facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate candidimus. Hac vir ille eloquentissimus, cuius discipulus & laus magistri, Franciscus Bencius, orat. i. de laud. poëtica, non minùs sapienter ac doctè, Poëtica, inquit, docuit moderari libidines, detestari vitia, amplexari vir-
tutes,

(a) Utilitas fabularum.

PRÆFATIO.

tutes, rerum denique omnium maximarum, mediarum, infimarum cognitionem ac scientiam tenere. In eandem sententiam doctissimus Lipsius, in præfatione Electorum; Ut in vite, ait, sub foliorum, palmi-
tūmq̄e umbris pulcherrima sæpe uvæ occultantur; sic sub fabularum delectamentis, & , ut sic dicam, pampinis, reperiuntur crebrò purpurei rerum fructus. Copiosius etiam & disertius de fabularum utilitate agit Græcè, Latinèque scientissimus Natalis Comes, qui lib. 1. c. 2. Mythologia sua: in qua omnia propè Naturalis & Moralis Philosophiæ dogmata contineri dicuntur, ita profatur. Tanta est sanè utilitas, quam ex fabularum cognitione percipimus, quanta nullius verbis explicari potest; quod tamen nemini ferè est perspicuum, nisi quis præclaro ingenio sit ab ipsa natura præditus, multaque antiquorum scripta diligentius considerarit. Nos igitur, sicuti solent medici, qui è venenatis etiam vel herbis vel animalibus utilia pharmaca colligunt, & quod optimum sit, secernunt è singulis, & perniciosâ quoque, beneficio temperamentorum sanitati peraccommodata reddunt, ita facere debemus. Nam altiora fabularum sensa rectè perscrutantes, quid utile humana vitæ sub illis contineretur, debemus investigare; è quo plurimum reportabimus utilitatis; illis interim neglectis, quæ nihil nobis conferre videbuntur. Quod autem plurimum commodorum ex hac cognitione consequemur, vel illud maximum est argumentum, quòd divinus etiam Plato primam puerorum eruditionem ab honestis fabulis incipere jussit in lib. 2. de Republ. Nam profectò quis nesciat, omnia propè deorum gentilium mysteria fuisse ab antiquis sub fabulis occultata? Cùm enim turba feminarum, & imperita multitudini religio & deorum metus, & fides, & probitas, & temperantia esset in animis inferenda, qui neque Dei naturam intelligerent, neque integritatem rapinæ ac libidini, sine aliquo deorum metu anteponerent, non solum fabulose de diis narrationes à sapientibus fuerunt excogitata: sed etiam fabulose imagines, & pictura monstris propè similes introductæ. Sic fulmina Iovi tributa sunt, tridens Neptuno, sagitta Cupidini, fax Vulcano, ac varia terrorum instrumenta diis cæteris. Nam cùm minimè sit inexpugnabilis mortalium natura, neque validissimas machinas expectet,

PRÆFATIO.

quippe quæ omnium calamitatum semina in se contineat, si vel paullulum oculos ab illius custodia Deus deflexerit: per se, sine aliis pugnae instrumentis, continuo labefactabitur. Hæc ille; quibus deinde, sequentia subnectit:

(b) Nos idcirco universam fabularum divisionem ita faciendam censuimus; quod aliæ fabulæ naturæ secreta continent; ut illa, quod Venus è spuma sit genita, quod Phœbus Cyclopa occiderit, quodque illi fulmina Iovi fabricarint. Aliæ fortunæ inconstantiam declarant, nosque ad eam forti animo ferendam instruunt, ut ea, quæ de Phœbo dicta sunt, quod armenta parverit Admeti regis. Aliæ ab impuris opinionibus, & à crudelitate, atque ab omni perfidia, & impura libidine nos retrahunt, ut Lycaonis fabula. Aliæ ad deterrendos homines à rebus turpibus sunt inventæ, ut Ixionis supplicium apud inferos. Aliæ cohortantur ad strenuitatem, ut ea, quæ tradita sunt de Hercule. Aliæ ex avaritiæ sordibus nos erigunt, ut sitis Tantali. Aliæ ad deprimendam temeritatem confinguntur, ut calamitas Bellerophontis, & cæcitas Tiresiæ. Aliæ ad virtutes nos alliciunt, ad integritatem vitæ, ad fidem, ad æquitatem, ad religionem, ut mirifica Elysiorum camporum amœnitas. Aliæ ab omnibus denique flagitiis revocant, ut severissimi triumviri apud inferos, singulorum animas defunctorum judicantes, & gravissima consccleratorum supplicia. Equidem sic existimo, quasi suavissimum humanæ vitæ condimentum existere fabularum inventionem, ac earum ærumnarum, quas in vita patimur, non mediocri solatium, quas etiam idcirco à sapientibus fuisse excogitatas censeo. Hinc enim cum singulari oblectatione ea percipimus vitæ rectè degendæ præcepta, quibus sine suavitate fabularum terga continuo verteremus. Hanc tantam è fabulis utilitatem capere minimè possunt ii, qui altiora fabularum sensa non inspexerint, quique primi corticis (ut ita dicam) mirabilitate irretiti, nihil divinius sub illo esse crediderunt. Hi enim tanquam pueri parvi per brumam apud ignem sessitantes aniles nugæ, fabellæque è poetis imbuunt, cum interim de utiliore, sanctiorèque sententiâ minimè sint solliciti. Hæc Mythologus.

(b) Fabularum divisio.

Quæ

PRÆFATIO.

Quæ quidem paulò fufius ex eruditis viri hujus in fabulas commentationibus excripimus, aptiffimè tamen, & ad institutum noſtrum accommodatiſſimè. Hac enim diſſertatione demonſtratur fabularum varietas, utilitas, oblectatio; quarum rerum conjunctionem ii minimè percipiunt, qui non frangunt nucem, & in ea quarunt nucleum, quem quidam eleganter fabuloſam Sapientiam vocat. Etenim, quod Horatius canit:

Et prodeſſe volunt, & delectare pœta.

Iam verò, ut autoritatibus obruamus illos, qui figmentorum pœticorum tractationem, tanquam rem inanem & frivolam derident & traducunt, ſanctiores utiliſſima hujus cognitionis ac doctrina teſtes in medium producamus. Inter quos eſt Præſul Mediolanenſis, D. Ambroſius, qui de curru Elia agens, meminit Phaëthontis, & ait: (c) Fabula etſi vim veritatis non habet; tamen rationem habet, ut juxta eam poſſit veritas manifeſtari. *lib. 3. de Offic. Et Chryſoſtomus tom. 1. homil. de aſcenſione Elia.* Ab Elia, inquit, Poëtæ atque pictores in figuranda Solis imagine exempla credo ſumpſiſſe: qui curru, atque equis fulgentibus ipſe rutilans atque radians, è fluctu oceani ſublevatur, inter præruptos montium ſcopulos evadens, quaſi ad cœleſtia videtur aſcendere. Sol enim græco ſermone ἥλιος, unde nomen *Helia*, qui curru atque equis ignem ſpumantibus, de oceani fluctu, id eſt, de mundi commotione, per montium ſcopulos, id eſt, per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cœleſtia devectus aſcendit. *Accedit Auguſtinus lib. 20. c. 9. contra Fauſtum.* Habent quidem pagani fabuloſa quædam figmenta: ſed eſſe illas fabulas nôrunt, vel à Poëtis delectandi cauſâ fictas eſſe aſſerunt: vel eas ad naturam rerum, vel mores hominum interpreta-ri ſtudent. *Idem lib. contra mendacium.* Apud autores ſæcularium litterarum, ut apud Horatium, mus loquitur muri, & muſtela vulpecula, ut per narrationem fictam, ad id, quod agitur, vera referatur ſignificatio; Unde & Æſopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus tam ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia.

(b) 3

Hæc

(c) SS. PP. ſenſus de fabulis.

PRÆFATIO.

Hæc in sacris litteris, ut in libro Judicum, cùm ligna sibi regem fecerunt, & loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum fingitur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione dicuntur. Quid, quòd Ambrosius loc. cit. pugnam inter Antæum & Herculem commissam, non dubitavit ad Christum ipsum transferre. Ejus verba sunt: Referunt sæculares virum quendam fuisse, ut quoties beneficio virium suarum destitutus, amicam & nutricem terram impulsu adversarii contigisset, de solo surgens, magis in adversarium prævaleret, & sic occasio prostrati, occasio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Cui hæc conveniunt, nisi Christo, qui ad hoc cecidit, ut gloriosior resurgeret. Hæc S. P. P. Cornelius à lapide in Prolegom. Proverb. & Ecclesiastici, celebrat, & sæpe recitat apologos S. Cyrilli Episcopi Alexandrini, variis, gravibusquæ S. Scriptura sententiis, proverbiiis, similitudinibus exornatos & confirmatos. Frequens etiam meminit Mythologia Fulgentij, quem nonnulli putant, episcopum Russensem fuisse, & circa annum D. 520 floruisse. Quisquis ille sit, ab insigni pietate, & ingeniosa eruditione commendabilis fuit.

(d) Ad hæc testimonia accedit ipsa divina Scriptura auctoritas, quæ pluribus in locis ad poëtarum fabulas alludit, utiquæ non dicis tantum & delectationis, sed utilitatis causa. Nam proverb. 26. meminit Mercurii, dum de insipiente loquens, dicit: Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem, vide Symb. Sic ad fabulam Titanum respicit Judith 16. Nec percusserunt eum (Holofernem) filii Titan. Et Job. ult. pro cornu sibi, quod erat nomen filie Job, Septuaginta vertunt, cornu Amalthææ, id est, cornu copiosum, dives, rerum omnium affluentia abundans. Fabulantur enim poëta Amalthæam fuisse capram nutricem Iovis, è cujus proinde cornu Iupiter omne bonum fundebat. Vide Symbol. 97. In quem locum Nicetas sapienter advertit: Cùm scriptura ait cornu copie, aut Sirenum Isa. 13. aut vallis Titanum Judith. 16. aut gigantum 2. reg. 23. aut Orionis & Arcturi Job. 9. & Amos 5. aut Lamiarum Isa. 34. Thren. 4. mentio-

(d) SS. Scriptura fabularum meminit.

nem

PRÆFATIO.

nem facit; tantum utilitatem illis fabulis significatam, non verò falsitatem ullam nobis propinat. Vide Symb. 30. Praclare Plutarchus in moralib. Sicut iris, inquit, nihil est, nisi relucetia Solis refracti in nubibus: ita fabula est quaedam representatio veri. De arcturo & Orione doctissimus Ribera in l. c. Amos. Arcturus dicitur stella ab ursæ cauda, in qua est; Orion verò ab ὄρεων, id est turbare. Arcturum & Orionem facit Deus; cum in peccatore fallacem illam tranquillitatem, & quasi serenitatem, quæ in peccatis utcumque fruebatur, perturbat, & tempestates concitat timore mortis, & ignis æterni; nec non ipsa anteactæ vitæ turpitudine, sive insigni aliqua ignominia, atque salutis, honorumve jacturâ. Pugnant hinc amor & timor, inde antiqua consuetudo, & illecebræ voluptatis, quasi contrarii venti, inter se mutuo certantes, & maria miscentes. De his lege Confess. Augustini, lib. 8. c. 12. Hæc ille. Vbi vides, nec nomina fabularum, nec effecta, & significata moralia repudiari à SS. literis, earumque interpretibus.

Itaque, quod de aliis profanis litteris SS. PP. asserunt, pari ratione de commentis fabulosis dicamus. S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. Ægyptias opes tollit, qui litteras ethnicorum ad nostræ fidei decus & usum transfert. Et S. Hieron. epist. 146. Quam (captivam illam & pulchram mulierem, Deut. 21.) Si Israëlites uxorem habere voluerit, debet illa radere cæsariem, ungues circumcidere, vestem, in qua capta est, deponere, atque ita demum in ejus amplexum venire. Ita & nos facere solemus, quando in manus nostras veniunt libri sapientiæ sæcularis: si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus: si quid verò superfluum de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his caluitiem inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo defecamus. In eandem sententiam Theodoretus lib. 1. de curandis Græc. affect. Ut qui rosaria demerunt, spinas quidem intactas dimittunt, rosarum verò calyces legunt. Iplis quoque apibus natura hanc legem instituit, ut non solum floribus, qui sunt dulces, insideant: sed etiam qui amarulenti: solum tamen quod in illis dulce hauriant, amaritiam autem a-

verfen-

PRÆFATIO.

versentur, & ex diversis qualitatibus, amaris videlicet & austeris, mel hominibus dulcissimum conficiant. Harum itaque exempla & nos sectati, è gentilium amarulentis pratis, dulce nobis ac perquam utile mel conficimus. *Hæc ille & illi.*

(e) *Atque hoc est, quod nos in opere isto propositum habemus, & Hebræos imitamur, id quod Augustinus loco memorato indicat, qui ea, qua sibi usui fore judicassent, rapuerunt. Exod. 11. relictis illis, qua aut molesta, aut inutilia, aut profana existimassent: ita nos oportet, inquit S. Doctor, sua quidem vitia Ethnicis relinquere, superstitiones, libidines, cupiditates, hæc, inquam, apud dominos relinquenda. At si quod sapientiæ aurum, si quod eloquentiæ argentum, si qua bonarum litterarum supellex penes illos erit, eam omnem convalescere, & in nostros usus accommodare debemus. Quæ omnia S. Patris verba, ad hunc fabularum tractatum merito, rectissimeque possumus transferre. Quodque sapienter Mythologus lib. 1. c. 2. monuit, id nostro quoque nomine lectori dictum volumus: Verumtamen, ait ille, ne quis illud à nobis expectet, quod scribentibus injucundum, legentibusque foret inutile, ea huc adducere, quæ utiliter afferri non possunt. Cum eas tantum fabulas simus explicaturi, quæ homines ad rerum cælestium cognitionem erigunt, quæ instituunt ad probitatem; quæ deterrent ab illegitimis voluptatibus: & ad scientias rerum necessariarum humana vitæ perducant. Et quod ille lib. 2. c. 6. animadversum cupiit, nos quoque hæc legentibus notandum ducimus. Neque verò, ait Natalis, multum differre putamus ad suscepti laboris utilitatem, hic an ille, hujus nominis, hoc vel illud fecerit, modo factum fuisse dicamus. Non enim historicas narrationes, aut res gestas nunc scribimus, sed antiquorum fabulosa figmenta explicare contendimus.*

(f) *Ergo nec ab instituto hominis Religiosi alienum est, fabularum cognitionem in morum doctrinam vertere, ejus præsertim, qui pro vitæ ratione non soli sibi, sed utilitati publicæ, maxime juvenutis, vivit, cui præmaniam, quod dicitur, est in os inserendum, & austerior vir-*

(e) Utiliora è fabulis secernenda, (f) Tractatio fabularum Ethica jam olim usitata,

PRÆFATIO.

tutis succus melle litteraturæ poëtica condiendus: Nec incongruum videtur, huic descriptioni titulum Ethicæ symbolicæ præfigere. Nam ut Cornelius de Lapide testatur in c. 13. Ecclesiastici, jam vetus, olimque usitata fuerat Ethica Mythica, quæ per fabulas & apologos docet res morales, puta virtutes & vitia. Ita apolgo rhamni periculosum fore Abimelechi tyranni regimen, docuit Iudic. 9. Ioathan filius Gedeonis, qui Salomonem ducentis & viginti annis antecessit. Samson quoque hoc mythicum anigma proposuit Philistæis: De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Iudic. 14. Hinc Baruch scriba Ieremiæ c. 3. celebrat fabulatores Theman, qui scilicet per fabulas Ethicam tradiderunt. Duplex est autem ad propositum nostrum fabula. (g) Primò per eam intelligitur narratio ad delectationem & utilitatem inventa, rerum nec verarum, nec verisimilium: ut quod Daphne versa sit in laurum: & Tantalus apud inferos fugientia capter flumina; in quo scribendi ac fingendi genere excellit Metamorphosis Ovidii, qui ex Orpheo, Hesiodo, Homero, cæterisque vetustissimis poëtis tam præclarum & admirandum opus confecit. Iac. Pont. in prolegom. Metam. dissertat. 4. Deinde per fabulam significantur apologi, qui sub tectorio ridiculæ alicuius narrationis, & in bruta colloqui, recondunt aliquid, quod ad vitam & mores pertineat; quales sunt fabella Æsopi, mythologorum principis, qui floruit sub Cyro & Cræso Dicitur Æsopus, id est, Æthiops, quia labris erat niger; natione fuit Phryx, servus Xanthi philosophi; cuius apologi tanto in usu & estimatione antiquitus erant, ut in stultos & imperitos per adagium diceretur: Ne Æsopum quidem trivisti.

(h) Etsi verò propriè Symbolum est signum conceptuum, aut decretorum in animo unius, aut plurium, latentium; ut sunt pronuntiata Pythagoræ, abditos quosdam sensus involuentia; sæpe tamen pro quibusvis imaginibus figuratis ponitur vox Symbolum. Et quia fabula aliud præferunt in cortice, aliud includunt intus in putamine, meritò per eas, tanquam per emblemata aliud oculis, aliud animo objicientia, occultior & vulgò ignotior doctrina explicatur. Quocirca præsci illi Sapientes, Pythagoras, Plato, Trismegistus sapientiam suam docebant per hieroglyphica, Symbola, emblemata, anigma-

(c) ta,

(g) Fabula, seu fabulosa fictio duplex est. (h) Symbola sub fabulis contenta.

PRÆFATIO.

ta, ut eam celarent rudes & incapaces; capaces verò ad eius studium incitarent. Hinc *Siracides* cap. 6. Sapiencia doctrinæ secundum nomen est eius, & non est multis manifesta. Id est, Sapiencia secundum nomen eius, est id, quod dicitur, & predicatur, nempe res ardua, & excelsa, & non quibusvis obvia. Vt igitur majore cupiditate eius consequenda homines caperentur, Poëta fictionibus suis tanquam involucris ista veritatem involuerunt, ut tamen eos lenociniis carminum, ad eam indagandam, suavius, efficaciusque allicerent. (i) Hac de re *Maximus Tyrius*, *Platonici* celebrati nominis Philosophus egregie differit. Auribus, inquit, humanis insidias quasdam commenti sunt, ii quidem re ipsa Philosophi, nomine autem Poëtæ: rem invidiosam ad eam artem revocârunt, que populum admodum demulceat. Ita enim medici salubre consilium dulci aliquo liquore aspergunt, ne deterreatur æger saporis aut succi acrioris amaritie. Eodem planè modo de Philosophia illa veteri sentiendum, qua sententiis suis, fgmentorum ac carminum, tanquam veste, cultuque magnifico tectis, prisorum hominum animos cepit ac delinivit: neque secus id quidem, quam dissimulata disciplina modestia, ad institutionem, & morum feritatem curandam, illexit. Nec est autem, quod in dubium revoces, utri melius de divinis tractârint, Philosophine, an Poëtæ? quin potius studium utrumque, tanquam inuito fœdere, mutuò sese complecti deprehendas, ut eadem, non diversâ putes; cum enim Philosophorum ais, Poëtam intelligis: & cum Poëtam, Philosophum quoque comprehendis. Hæc *maximus* ille re, & nomine. Cui non dissimilia *Aristoteles* lib. 1. *Metaphys.* dum *Philomythen*, id est, fabularum amatorem, aliqua ratione philosophum esse asserit; quod fabula ex mirabilibus constituatur. Vnde *Christianus* ille Philosophus *Albertus Magnus* tract. 2. in *Metaphys.* Fabulas, ait, Poëta fingit, ut excitet homines ad admirandum; admiratio excitat ad inquirendum, ut sciatur causa eius, de quo mirantur.

Equidem cum asperam & insuavem virtutis viam fecerit nimia vitiorum consuetudo, ut ait *D. Hieronymus*, ac ut ventriculus corruptus salubres cibos respuit, ita nuda dicendi docendique ratio molestiam hominibus & satietatem adferre soleat, ideo summa viri prudentia & doctrina præditi

Mordax

(i) Cur Philosophia moralis per fabulas tradita.

PRÆFATIO.

Mordax illud verum, quò teneriores animi facile offenduntur, quasi quodam temperamento dulcedinis; fabulis inquam, miscuerunt ac diluerunt. Non aliter, quàm Medici circumlinunt pocula melle aut saccharo, ut amara remedia ab imprudentibus sine offensione sumantur. Id quod Lucretius lib. 1. eleganti carmine exposuit:

----- veluti pueris, absinthia tetra medentes
 Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
 Contingunt mellis dulcis flavoque liquore,
 Ut puerorum etas improvida ludificetur
 Laborum tenuis: interea perpotet amarum
 Absinthii laticem, deceptaque non capiatur.
 Sed potius tali factò recreata valeat
 Sic ego nunc.

Et ego cum Lucretio, qui juvenutis litterarum studiosa in suscipiendo hoc labore potissimam rationem habui, quam cupio per fabularum veterum arcanam cognitionem non magis ad eruditionis, quàm honestatis ac virtutis studium provehere.

Quare sicubi aut Cicero, aut Seneca, aut quisquam alius, illos fabularum artifices aversatus sit; nihil in his præter aniles ineptias, & alienas à veritatis imagine fictiones damnarunt, quæ nullo ingenio conditæ, nulloque emolumento vulgatæ, stultorum juxta & sapientium esse possunt. Certè cum doctissimo Alciati interprete (Claudius Minos is fuit, emblem. 4.) loquor: Inepti, & planè ἀνεπίστοι sunt, qui in poëtici narrationibus & figmentis explicandis, ipsas tantum voces, nudaque vocabula, aut etiam simpliciter γνῶνας considerant, nec ea potius eliciunt, quæ sensum aliquem abstrusorem contineant; ut qui in picturis disjudicandis colores aliquos, aut operum lineas quasdam conspiciunt, aut, qui mercedibus involutis appositæ imaginum tesseras admirantur, nec quid intus lateat, aut inclusum esse possit, animadvertunt. Habet enim divinum hoc studium, nescio quid latens & reconditum, quod a quæ omnibus pervium non sit, & apertum; sed ei tantum,

Ingenium cui sit, cui mens divinior. Ut Horatius canit.

(c) 2

Cuius

(k) Quæ sint aniles & futiles fabulæ. (l) Quid in fabulis considerandum.

PRÆFATIO.

Cujus viri perquam eruditi, & aliorum, quos laudavi verbis, nescio, an aliquid pro defensione laboris à me suscepti gravius, firmitusque dici possit. Quod autem supra ex Cicerone lib. 1. de invent. attulerim: (m) In fabula neque res verisimiles contineri; non ita accipias velim quasi, quod in absurdis, & rōis à dūvōis ducitur) ex nihilo aliquid fiat; aut ex falso possit sequi verum. Sed quòd ad solam veritatis figuratæ imaginem significandam (id, quod prudenter advertit Iacobus Masenius noster lib. 2. speculi imaginum veritatis c. 5.) verisimilitudo historica non requiratur; hac enim in fabulis neque desiderari potest; neque necessaria est ad sensus Ethicos eruendos. Quid enim interest, utrum pictor representaturus effeminata libidinis imaginem, exprimat fabulosum Herculem, Omphales, Regina Lydia imperiò, sagittas & clavam cum calathò & collo permutantem; an ex historiis notum Sardanapolum, Assyriæ Regem, feminea indutum stolâ, inter puellas & eunuchos pensa dividentem?

(n) His ita consilii, ac lucubrationis nostræ causis redditis, restat, ut & illis respondeamus, quibus videbimur actum agere, aut novam vel le alienis ex plumis corniculam adornare. Nam quid? vel solus Comes Natalis opus tam absolutum de Mythologia edidit, ut nihil eo perfectius, nihil videri possit copiosius, aut quidquam eorum desiderari, quibus è fabularum explicatione Philosophia sive Naturalis, sive Moralis magis perficiatur. Ab his ego me paucis, cum aliàs sim longior, expedio. Natali, viro excellentissimo & eruditissimo, ob laboris & ingenii præstantiam laudes debemus meritas & amplas. Fregit is glaciem, & plurimis stravit viam; quod citra invidiam Sabini, Gyraldi, Calcagini, Rhodigini, Ricciardi, Cartarii, quibus volvendis mihi nec otium, nec librorum facultas aut copia fuit, dictum velim plus aliquantum proposito nostro servisset Franciscus Baconus Verulamius; si eius de veteri sapientia lucubrationem nancisci potuissemus. Neminem tamen inficias iturum spero, cum nostros comatus cum Natalis opere contulerit, aliud longè nobis consilium, alium scopum fuisse. Ille plerasque fabulas ad rerum naturalium arcana refert; nos ne attingimus quidem. Ille carptim, & quasi neglectim appendices morales doctrina

(m) Quomodo fabula sit verisimilis & non verisimilis. (n) Quid in nova hac mythologia spectaverit auctor.

PRÆFATIO.

doctrina annectit; nos ad eam intentissimo oculo, velut ad destinatum iectum collimamus. Et ferè super sedemus iis Ethica parergis, quibus ipse labores suos ornavit; nos, quidquid ad hanc doctrinam pertinet, novis inventionibus expolire studemus. Benevolum lectorem in rem presentem invitamus.

(o) Faceremus hic proloquendi finem, nisi alius insuper arces quateret hac, qua struimus pro fabulis mœnia. Ille hic est: Tanta est amplitudo in aquore campi fabularis, ut quidquid moralis institutionis adferas, videatur aliter à quovis, & melius dici posse. Audiamus virum in his literis exceptione majorem. De Mythologicis (scribit P. Franciscus Pomey Societatis nostræ, in Pantheo Mythico, seu fabulosa deorum historia, in explicatione fabulæ de Iove) seu Interpretibus fabularum, hoc unum dicam obiter; tantam esse in hoc genere inter illos opinionum discrepantiam; quòdque est peius, usque adeò insulsa esse & inepta, qua plerique tradunt, tamque parùm ipsis, quas explicant, fabulis congruentia; satius ut putem, scribere hac de re nihil, quam quidquam adferre, in quo non acquiescat legentis animus. Et idem ibidem. Moralem sensum nihil moror; esset enim infinitus & inanis labor. Cuius liberum est quidvis fingere, & abundare, quod ajunt, in suo sensu. Hac ille. Mihi quidem hæc scribere ordienti, etiam non monito, occurrebat, opus hoc esse dubiæ plenum alea; putabam tamen tentandam fortunam, imò fabulam, & paullo plus considerationis in ea ponendum. Crevit subinde & animus, & successus; qui qualis sit, arbitrio tuo, lector amicissime, demisse & reverenter submitto.



(o) An sapientia Moralis è fabulis elici possit, (c) 3

SERIES